in paradiso de loco voluptatis, Judas in mundo de schola Salvatoris. Ego vero ut apertius pugnam hanc explicationem stylo magis theologico proponere gestio.

Vidit itaque Deus universa quae fecerat, et erant valde bona. Si primo 93
nullus ergo Angelus ex creatione sua est malus, sed a Deo bonus conditus per propriae voluntatis defectum effectus est malus, ita, ut duo saltem instantia distingui necessum sit, in quorum primo natura omnium Angelorum intelligatur sine peccato, et in gratia a Deo condita, in secundo vero hoc quod a prima regula recti quidam Angelorum defecerint, et per culpam propriae voluntatis effecti sint mali, cuius rationem reddit S. D. hic q. 63 a. 5. circa finem corporis dicens impossibile fuit Angelum in primo instanti peccasse per inordinatum actum liberi arbitrij, quamvis enim res aliqua in primo instanti, quo incipit esse, simul incipere possit operari, tamen illa operatio, quae simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, a quo habet esse, sicut moveri sursum est igni a generante, unde si aliqua res habeat esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiva actionis, poterit in primo instanti, in quo incipit esse, habere defectivam operationem, sicut si tibia, quae nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipiat claudicare. Agens autem quod Angelos in esse produxit, scilicet Deus non potest esse causa peccati, unde non potest dici quod ~~Angelus~~ Diabolus in primo instanti suae creationis fuit malus ita S. D. unde authoritate, et ratione constat, quod non solum nullus Angelus creatus est malus, sed quod neque in primo suae creationis instanti per inordinatum sui arbitrij actum potuit fuisse factus malus, cum ea quae in mutatione instantanea fiunt, mutanti veluti causae imponuntur, sicut claudicatio tibiae curvae in primo instanti talis non tibiae sed magis semini defectuoso imponitur, Creatio autem est quaedam mutatio instantanea, cum sit productio ex nihilo ad esse, adeoque sine omni transitu per medium, cum inter nihilum et primum esse non sit medium, in hac mutatione mutans est ipse Deus cui soli proprium est creare, quod neque instrumentaliter hoc possit concedi creaturae ut communis Thomistarum in physicis docet, unde si in primo ~~suae~~ creationis instanti Angelus fuisset moraliter malus seu in peccato, ipsum peccatum imponeretur Deo ut authori, quod est impossibile, oportet ergo, quod duo saltem instantia admittantur unum creationis et existentiae in gratia, alterum vero defectionis a gratia.

Sed ad plura quam duo instantia refugere, nec utilitas nec 94
necessitas est. hoc dico contra eos, qui putarunt, quod Angelus primo die integro mansit in gratia, et secundo cecidit, quod non aliter sustineri potest, quam si diem ibi non sumas naturalem per solis ortum et occasum mensurari solitum, sed Angelicum ad mentem Augustini, qui sex dies creationis sex instantia quorum unumquodque uni cognitioni Angelicae respondet, intelligit, dicere velint, quamvis etiam hic difficilis non absit eo quod Lucifer ut supra vidimus in scripturis dicatur perfectus scientia, adeoque debeat ipsi tribui cognitio omnium naturalium quae non salvatur si dicatur statim post primam rerum cognitionem cecidisse, ut adeo saltem debeat intelligi instans reale, in quo reali instanti plura possunt concipi instantia Angelica, adeoque etiam cognitiones. Et hoc erit quod hic petimus, sic namque dicere quod secundo die cecidit Angelus, non erit aliud,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
https://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/heidhs146/0074
gefördert durch
Baden-Württemberg